



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 32. Antonii Facchinetti obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. A. C. 1606. casione Virum Ecclesiastica severitate insignem, justitia conspicuum, Ecclesiæ summopere proficuum, Regi ac Pontifici percarum, omnibus denique morum comitate gratissimum exhibuit: Post Clementis VIII. obitum Sacris interfuit comitiis Leonis XI. & Pauli V. ubi cum se a Petro Aldobrandino Cardinali delusum arbitraretur, acerbius in eum pro vindicando Hispani nominis honore invectus est, qui propria confusus probitate, cum neminem improbum suspicaretur, in pertractandis negotiis simplex quidem nonnullis pro sæculi vafricie videbatur, re tamen ipsa Princeps erat in Christiana Politica versatissimus, in arduis constans, in dubiis cautus æque ac providus, & in Religionis cultu fervidus. Tandem vero Romæ morbo correptus diem vigesimam Januarii vitæ suæ postremam habuit. Corpus suum ad Ecclesiam Sanctæ Crucis delatum, ibidemque depositum, postea in Hispaniam ad tumulum suæ gentis proprium translatum est.

§. XXXII.

Antonii Facchineti obitus.

*Ciacon. in
vita Innoc.
IX. Cabrera
in Carm.
Vizzan. in
hist. Bonon.*

Alter erat Antonius Facchinetus de Nuce patria Bononiensis, Innocentii IX. ex Sorore Pronepos, qui anno Salu-

Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo tertio natus præclara egregiæ indolis, modestiæ, probitatis, Religionis ac eruditionis specimina ediderat; nondum enim decimum octavum ætatis annum attigerat, cum jamjam assidua librorum lectione, ac jurisprudentiæ studio tam vastam haulisset eruditionem, ut Referendarii, ut vocant, munere augeri mereretur, crescente autem meritorum fama die decima octava Decembris anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo primo ab Avunculo suo Innocentio IX. Cardinalis Diaconus tit. SS. Quatuor Coronatorum renunciatus est: obeunte hoc Pontifice ab ejus Successore Clemente VIII. variis Ecclesiæ negotiis eo duntaxat sine præfectus videbatur, ut ubique pietatis, doctrinæ ac integritatis suæ specimina dandi occasionem nancisceretur. Ast tanti Viri expectationem intempesta nimium mors elusit; plurium enim dierum morbo acerbè cruciatus ætatis suæ anno nonnisi trigesimo tertio die decima octava Mensis Maji hortante eum ad extremam luctam Patre Petro Carmelita excalceato Concionatore Pontificio, animam Deo placidissime reddidit, non sine maximo omnium luctu, & majori adhuc Reipublicæ Christianæ damno. Cadaver
ejus

Sæc. XVII.
A. C. 1606.

Sæc. XVII. ejus tumultatum est Romæ in Ecclesia
 A. C. 1606. Sanctæ Mariæ ad Scalam apud Patres
 Carmelitas Discalceatos, translatum
 postea ad Basilicam Sancti Petri in Va-
 ticano prope Innocentii IX. Avunculi
 sui tumulum.

§. XXXIII.

*Augustini Valerii Cardinalis ex-
trema.*

*Tomasin. de
Nobil. gentis
Valer. Cia-
con. in vita
Greg. XIII.
Nic. Erithr.
Pinac. I.
Oldoin. in
addit. ad
Ciacon.* Hunc pari ferme fato sequebatur Au-
 gustinus Valerius Patritius Vene-
 tus anno Incarnationis Dominicæ mil-
 lesimo quingentesimo trigesimo primi-
 Venetiis natus. Hic ab ineunte ætate
 Græcis, hebraicis, latinisque literis ce-
 terisque bonis artibus in Patavino Gym-
 nasio apprime excultus, ita pietati ac
 Religioni deditus fuit, ut nunquam de-
 cترینæ elegantiam a vitæ probitate se-
 jungeret: Postea Venetias reversus mo-
 ralis Philosophiæ præcepta, quæ a La-
 zaro Bonamico aliisque præstantissimis
 Magistris hauserat, publice suis civi-
 bus tradidit, præprimis honestæ vitæ
 instituta Auditorum animis infigere sol-
 licitus. Theologiæ dein ac juris, le-
 gumque scientiæ diligenti opera navata
 utriusque facultatis Lauream adeptus
 est. Excelluit Historica cognitione, mi-
 raque oris facundia & eloquentia, ac
 via